

1424 (Nat.), 31 mars – Aversa.

Louis III, roi de Jérusalem et de Sicile, duc d'Anjou, etc., ratifie ses fiançailles avec Isabelle, fille de Jean, duc de Bretagne, et, ne pouvant se rendre en personne en France, nomme Hardouin, évêque d'Angers et son chancelier, Jean de Craon, seigneur de la Suze, Guy de Laval et Étienne Fillastre, juge ordinaire d'Anjou et du Maine, ses procureurs et envoyés spéciaux pour conclure et contracter le mariage.

- A. Original non retrouvé, signé de la main de Louis III (*propria manu subscripsimus*, signature manquante dans *B*), ainsi que par les secrétaires et notaires Jean Jean et Jean Baudusse (signature manquante dans *B*), et scellé du grand sceau.
 - B. Copie dans un cahier de papier, du *xv^e* siècle, endommagée. Marseille, Archives Bouches-du-Rhône, B 1387, folio 1 *recto-verso* [copie numérisée].
- INDIQUÉ :** Blancard (Louis), *Inventaire-sommaire des archives départementales antérieures à 1790,...* Bouches-du-Rhône, 1, Paris, Paul Dupont, 1865, p. 408, n°1387.

Ludovicus tercius, Dei gracia rex Jherusalem et sicilie, dux Andegavie, ac comitatum Provincie et Forcalquerii, Cenomanie ac Pedemontis comes, universis et singulis presentes litteras inspecturis, tam modernis quam futuris, notum facimus per easdem quod nos, in etatis nostre anno vicesimo, constituti sponsalia dudum inter nos ab una parte, et illustrissimam dominam, dominam Ysabellam de Britania, filiam naturalem et legitimam illustrissimi principis consanguinei nostri, precarissimi Johannis, ducis Britanie, comitis Montisfortis et Richemondie, ex altera, ex certa nostra sciencia ratificantes, laudantes et approbantes, ac toto cordis desiderio cupientes illa suum inter nos et prefatam dominam effectum sortiri, matrimoniumque exinde perfici et consumari, ad presens grandium ponderibus negociorum occupati, quominus ad partes regni Francie possimus pro dicti matrimonii consumacione personaliter accedere vel illuc nos transferre, eiusdem matrimonii complemento operam adhibere possibilem cupientes, decernentes propterea quod in propria adimplere non possumus, fore personis fidedignis comittendum, confidentes ad plenum de fide, circumspectione et legalitate reverendi in Christo patris Hardoyni, episcopi Andegavensis, cancellarii, magnificorum et egregiorum virorum Johannis de Credonio, domini de Suza, Guidonis de Laval, consanguineorum, et Stephani Filiastri, iudicis ordinarii ducatus Andegavie et comitatus Cenomanie, consiliariorum nostrorum fidelium dilectorum, ipsos, de eadem certa nostra sciencia, fecimus, constituimus et ordinamus procuratores nostros et nuntios speciales, et eorum quemlibet in solidum, ita quod occupantis melior condicio non existat, sed potius per eorum quemlibet presencium exhibitorum possint infrascripta perfici et adimpleri, videlicet ad contrahendum, nomine nostro et pro nobis, sponsalia atque matrimonium per verba de presenti, cum dicta domina Ysabelle, ipsamque in facie ecclesie desponsandum, in eam tanquam uxorem nostram legitimam per eadem verba de presenti consentiendum, necnon ad [sollemnizandum^(a)] petendum etiam in facie ecclesie per benedictionem nuptialem, et alias prout est in par-

tibus Francie fieri solitum, tam de consuetudine quam de iure huiusmodi matrimonium, prout faceremus sic si ad hoc presentes personaliter interessemus, promissiones iuramenta quolibet ad hec conveniencia prestandum in animam nostram et faciendum, et generaliter omnia alia et singula circa premissa necessaria seu opportuna faciendi gerendum et exercendum pro nobis et nomine nostro, que etiam in persona propria faceremus aut facere possemus, promittentes in regio verbo ac per fidem et iuramentum nostrum propter hec ad sancta Dei Euvangelia prestitum, ac sub obligacione et ypotheca bonorum nostrorum, mobilium et immobilium, presencium et futurorum, nos habere et perpetuo habituros ratum, gratum, firmum et stabile totum id et quicquid per dictos procuratores nostros et eorum quemlibet contractum, promissum, actum, gestum ve fuerit in premissis, seu alias quolibet procuratum, promittentes insuper medio dicto nostro iuramento et iurantes in animam nostram dictos procuratores nostros, aut alterum, eorundem perpetuis temporibus non revocare, nec super hoc dispensacionem a quocunque per nos, vel submissam personam, impetrare, et ea impetrata vel quovismodo impetranda non uti, vel gaudere sub obligacionibus et ypothecis, ac promissionibus supradictis, sed potius realiter et cum effectum premissa facere et adimplere, ac in nullo contradicere facere vel venire, promittentes et preterea de et pro omnibus et singulis premissis pro dictis procuratoribus in (*lacuna*) quolibet iudicio sisti et iudicatum solvi cum suis clausulis (*lacuna*) procuratores et eorum quemlibet ab omni onere satisfaciendi relevantes (*lacuna*). [In cuius rei^(b)] testimonium, presentibus sigillum nostrum maius duximus appone [apponendum], quas, pro maiori cautela, propria manu subscripsimus, et [subscribi fecimus^(c)] per fideles nostros secretarios et notarios publicos [infrascriptos^(d)]. Datum Averse, die ultima mensis marcii, secunde [indictionis^(e)], anno millesimo quadringentesimo vicesimo quarto, regnorum vero nostrorum [anno septimo^(f)], presentibus magnificis, egregiis et circumspecto viris Petro de [Bellavalle^(g)], primo cambellano, Tristano de la Jaille, Guillelmo de Villa [Nova^(h)], Heliono de Falcone, militibus, cambellanis, ac magistro Nicolao [Perrigaut⁽ⁱ⁾], licenciato in decretis, decano Andegavensis, consiliariis et fidelibus [nostris^(j)] dilectis, testibus ad premissa vocatis et rogatis.

Et ego Johannes Johannis, clericus Constanciensis diocesis, magister in [artibus^(k)], apostolica et imperiali notarius publicus, et prefati domini regis [secretarius^(l)], prenominatorum procuratorum constitutioni, potestatis dationi aliisque suprascriptis (*lacuna*) seriose prenarrantur per eundem dominum regem, agerentur, iurarentur, (*lacuna*), dicerentur et fierent, una cum suprascriptis testibus meoque (*lacuna*) notario publico presens fui, ideo, de ipsius domini mandato, hiis suis litteris pro ipsarum ampliori veritatis testimonio, hic inferius manu subscripsi. Ego vero Johannes Baudusse, clericus Bituricensis, magister in [artibus^(m)], (*lacuna*) et regia [auctoritate⁽ⁿ⁾] notarius constitutus, dictique serenissimi domini regis secretarius, (*lacuna*) prescripta procuratorum constitutioni, [potestatis^(o)] dationi iuramenti, prestationi et aliis omnibus et singulis, dum ut [prenotata^(p)] sunt, agerentur, dicerentur et fierent, una cum ante signatis testibus et prescripto collega meo personaliter affuerim, presentibus regiis apicibus, in uberius veritatis testimonium dicti domini regis interveniens mandato, me subscripsi, quas signo manuali meo quo in publicis uti soleo documentis, communivi.

(Signé :) Johannis.

- ^(a)sollemnisandum] *scripsi* (*pro sollemnizandum*), *solemnisandum* B.
 - ^(b)In cuius rei] *scripsi*, *lacuna* B.
 - ^(c)subscribi fecimus] *scripsi*, *lacuna* B.
 - ^(d)infrascriptos] *scripsi*, *lacuna* B.
 - ^(e)indictionis] *scripsi*, *lacuna* B.
 - ^(f)anno septimo] *scripsi*, *lacuna* B.
 - ^(g)Bellavalle] *scripsi*, *lacuna* B.
 - ^(h)Nova] *scripsi*, *lacuna* B.
 - ⁽ⁱ⁾Perrigaut] *scripsi*, *lacuna* B.
 - ^(j)nostris] *scripsi*, *lacuna* B.
 - ^(k)artibus] *scripsi*, *lacuna* B.
 - ^(l)secretarius] *scripsi*, *lacuna* B.
 - ^(m)artibus] *scripsi*, *lacuna* B.
 - ⁽ⁿ⁾auctoritate] *scripsi* (?).
 - ^(o)potestatis] *dubito*.
 - ^(p)prenotata] *scripsi*, *preannotata* B.
-

Édition : Olivier Mattéoni et Jean-Damien Géro.

Ce document PDF a été compilé en juillet 2024 dans le cadre du programme de recherche public « Actes princiers au royaume de France (XIV^e-XVI^e siècle) », porté par le Laboratoire de médiévistique occidentale de Paris (UMR 8589 CNRS-Université Paris 1 Panthéon-Sorbonne) sous la direction scientifique d'Olivier Mattéoni, professeur des universités (Paris 1), et dont les partenaires sont le Laboratoire d'Excellence « Histoire et anthropologie des savoirs, des techniques et des croyances » (LabEx hastec), le Centre Jean Mabillon (EA 3634/ École nationale des chartes), le Centre de recherches historiques (UMR 8558/ CNRS-EHESS) et les Archives nationales de France. La transcription et l'appareil critique du présent acte sont mis à disposition sous [Licence Ouverte V 2.0](#).

Pour plus d'information, consultez le site Actes princiers (actesprinciers.huma-num.fr).